

quidem indissolubiliq̄ue laqueo, vbi Cæsareo eloquio vinctus erat, præreptus videretur. Postquam accusationem, vt Suetonius idem ait, haud dubiè principibus Patronis annumeratus est, hinc M. Tullius, & quod magis miraberis ad Brutum scribens, clarissimum eloquentiæ testimonium perhibuit, negans se videre cui Cæsar cedere debeat, adiungensq̄ue eum elegantem splendidamq̄ue atque magnificam & generosam quodammodo orationem dicendi tenere. Et ad Cor. Nepotem, de eodem scribens: Quem, inquit, Oratorem huic antepones, eorum quæ nihil aliud egerunt? quis sententiis aut auctior aut crebrior? quis verbis, aut elegantior aut grauior? Pronunciassè dicitur, vt Suetonius refert, voce acuta, ardentem motu, gestuq̄ue non sine venustate: Huius est illud præceptum omnibus quæ eloquentiæ student memorabile, in primo libro eius de Analogia positum: vt scilicet infrequens atque in lens verbum, tanquam scopulum fugiamus. Enumerare possem, quibus præliis oratio eius, ita militum animos inflammavit, vt periculi omnis immemores, læti etiam & exultantes in ferrum ruerunt, quas inf.

f. ij.